

184

CAESILIA . Q . L .

CINNAMIS

DINDIAE . LAVRIDI

DELICATAE . SVAE . ANN

NATAE . XXIV

*Aquileja ex iisdem.*

*Explicat hoc verbum Dausquejus in Orthogr. Vol. I. p. 44. ut Inscriptionem Teja Euphrosina emendes ex DELICATAE in DEDICATAE quasi Diis dicatae, sed nihil agit, dum de profano, sive obsceno in sacrum convertere conatur; quia & caetera ex Grutero Inscriptiones, & nostra modo allata aperte repugnant. Cassoniam item gentem Grutero ignotam observabis.*

CASSONIO. Cassonia gens forte eadem cum Casonia, quam vidimus n. LXXXV.

Tria foramina, quae supra primam lineam visuntur, quaeque Θ litera expressit Typographus, idcirco fortasse in marmore apposita sunt, ut iis Cassoniorum Vettini, Vitalis, & Verecundi effigies continerentur.

C X I I.

**E**legantissimam Inscriptionem anno 1733. repertam cimelio meo tamquam gemmam sollicitè comparavi. *Quod reliquum est post obitum in corpore, reliquias dictas animadvertit Fabrettus Inscr. Dom. Cap. X. p. 721. ex pluribus Gruterianis Inscriptionibus a Scaligero in Indice Historico congestis; evidentius tamen ex hac Inscriptione constat reliquias dici cremati corporis residua, ossicula nempe illa, seu ossium fragmenta, quae ignis vis absumere non potuit; quod & doctissimus Romanorum Virgilius VI. Æneid. notavit de Miseni corpore cremato*

*Postquam collapsi cineres, & flamma quievit,*

*Reliquias vino, & bibulam lavere favillam.*

haud abimili sensu Svetonius in Calig. cap. 3. de Germanico loquens: *caesorum clade Variana veteres ac dispersas reliquias uno tumulo humaturus colligere sua manu, & comportare primus aggressus est.*

ALVMNO. De Alumnis plura erudite differuit Fabrett. Inscr. Dom. cap. V. p. 349. & seqq. quem vide.

CXIV.